

DE  
SODALITATE EQVESTRI  
ASINARIA

IN LVDIS EQVESTREBVS VETERVM GERMANORVM FREQVENTI

PRAEFATVS

*PERILLVSTRES AC GENEROSISSIMOS ILLVSTRIS AFRANEI*

EPHOROS

VIROS ITEM SACRI AC CIVILIS ORDINIS AMPLISSIMOS

QVOTQVOT LIBERALIBVS FAVENT STVDIIS

AD AVDIENDOS

DIE DECIMO QVINTO ET VICESIMO

MENSIS SEPTEMBRIS 1766

POST HORAM NONAM MATVTINAM

IN ILLVSTRI AFRANEO

ADOLESCENTES PERICVLVM INGENII ET DISCEPTANDO ET

PERORANDO FACTVROS

QVA PAR EST

REVERENTIA ET HVMANITATE

INVITAT

M. THEOPHILVS GRABENERVS

RECTOR.

MISENAE,

IMPRIMEBAT IUSTVS GODOFREDVS LOEWIGS





ilitatis opinio, quo censi nostris moribus asini solent, paene me induxerat nuper (a), ut illustrium equestris ordinis uirorum sodalitate indignum nomen *asimariae* existimarem. Itaque uocem *Esel*, a qua cognominata erat, malui ex abstrusissimis partibus, Gothicarum, linguae originibus deducere, ut uini significandi nancisci posset mitiorem. At, re accuratius expensa, deprehendi, nihil dignitati nobilium uirorum derogatum esse, quum *asimariae sodalitates* appellatione ab aliis discernentur. Illud igitur primum aperte constat, *sodalitates asimariae* nomine factionem nobilitatis equestris ordinis uirorum, ab aliis uocita, uexilloque, diuersam, nibilo tamen minus de eodem brabeo cum aliis in equestri iugo decertantem, indicari. In commentariis enim ludorum equestrium, in Germania quondam institutorum (b), passim uideo et *leoniae*, et *ursinae*, et *ceruiniae*, et *bouinae*, et *cetariae*, et *dyaconariae*, factionis, et multarum aliarum, fieri mentionem. In quo ut imitati maiores nostri morem equestrium ludorum Romanorum (c) uidentur, nisi quod Romanae factiones coloribus se potius, quam uexillis, discriminarent, sic a uexillorum picturis denominare distinctas factiones maluerunt. Vexilla autem quum inde ab ultima origine duplici consilio facta inuentamur, ut uidelicet signa essent, quae et sequerentur milites, et quibus legiones, cohortes, turmae, centuriae, dignoscerentur, intra illud usus uexillorum apud nostros etiam maiores constitit, prorsus ut, quibus figuris uela uexillorum insignirentur, minus ipsis pensi esset, dum iis modo a ceteris distinguerentur. Antiquissimis quidem Israelitarum temporibus periticae militares pro uexillis esse adhibitas hoc minus dubito, quo certiora suppetunt eius rei argumenta. Id genus ut generali nomine ab ipsis (d) *סוּס*, quod, *in aram sublatam, fugam, aut uagationem, milium significat*, uocatum existimem, inducit me uocabulorum *סוּס* et *סוּסוּ* cum eo cognatio. Singulare autem illud fuisse uideat mihi, quod *סוּס* appellatur, siue quod potentissimae manus DEI, quam se exteantem contra hostes, quae se protecturum Israelitas DEVS promiserat, simulacrum aliquod haberet additum, siue quod iunctarum manuum effigie, qualis in quibusdam Romanorum numis cernitur (e), eos *foederis, et cum DEO, et inter se, initi, commonefaceret*. Nihil sane impedit, quo minus illa Moysis uerba (f) *וַיִּצְוֶנִי אֱלֹהִים לָשֵׂאת אֶת הַסִּימָן*, *signum, iuxta solium, seu praetorium, DEI, de signo militari, quae olim principes, et exercituum duces, aut gerebant ipsi, honoris caussa (g), aut praeferrere sibi iubebant (h), aut in aditu praetorii statui (i), per modum similitudinis interpretentur, quoniam cum iis proxime coniuncta sunt illa: בְּעֶשְׂרֵת מֵאוֹת וָאֶלֶף יְהוָה יִרְחֶמֶן אֶת מִלְחַמְתּוֹ בְּיָמָיו*, *bellum gere DEVS cum Amaloeitis perpetuum. Quam expositionem qui non respuet, nae is illam quoque admittet facile, si, quae de Moysi elata in altum manu eodem loco (k) dici uulgo creduntur, de uexillo sublato accipiamus, praesertim quum, מִסַּח הָאֱלֹהִים, *illis diuina uirtute instructus baculus in eius manu fuisse, et, parua uictoria, Moyses tropaeum statuisset, eique titulum addidisse סוּסוּ אֶת הַסִּימָן*, *DEVS uexillum meum, hoc est, DEVS uexillo meo uim addidit pariuendae uictoriae, paulo ante, ac post, perhibeatur (l). Tum uero nec difficile fuerit intelligere, posse etiam in aliis, praesertim diuini *tesariae (m), lo-***

(a) In Programmate viii Id. Mart. 1606 xxxvi. de quibusdam ad glossarium Io. Georg. Wachteri animaduersis publicato, in quo uocabulum *Esel* ab antiquis potius uocibus *ee* et *selle*, uel a *Chaucica Esil*, deducendum putauit, quam in natua significatione accipiendum, ut *societatem foedere iunctam, uel strepens* denotaret. (b) *Im Thurnier Buche* p. 176. 177. et passim alias. (c) Conf. *Thomas Dempsterus ad Rosini Antiquit. Rom. libr. V. cap. V. p. m. 319. 327.* (d) *Ies. V, 26, XL, 10, 12, XLII, 2, XVIII, 3, XXIII, 23, XXX, 17, XXXI, 9, XXXVII, 22, LXII, 10, Ierem. IV, 6, 21, L, 2, LI, 12, Ezech. XXVII, 7. סוּסוּ est fugere, סוּסוּ autem tollere.* (e) In numo *Catonis, Neruae, Pupieni et Balbini, Liciniani.* Conf. *Spanhemius de praest. et usu numism. Dissert. II. p. 119. 127.* (f) *Exod. XVII, 16. (g) Sam. XIX, 9, XX, 33.* Hinc *Conon* tenuisse uexillum in nauis praetoria puniceum dicitur a *Diodoro Siculo Bibl. Hist. libr. XIII. p. 372. edit. Stephan., et Aegyptiae ab Augusto uexilli gerendi potestas data est, teste Dione Hist. Rom. libr. LI, cap. CCCX.* (h) Imperatoribus in curiam descendentibus uexilla praelata esse, et inde, *σὺν βολῆ βασιλικῆ, et σὺν βολῆ βασιλείας, dicta, testis est Herodotus libr. II. in Perim. Ammianus Marcellinus in Constantino, Trebellius in Gallieno. Idem de Eduino, Angliae rege, Beda refert Hist. libr. II. cap. XVI.* (i) *Polybius libr. VI, cap. XXXIX.* In Ianiculo militare signum statutum esse comitorum tempore, narrat *Dio Cassius Hist. Rom. libr. XXXVII, cap. XXXV.* (k) *Exod. XVII, 11. (l) Exod. XVII, 9, 15. (m) Ies. V, 25, XLIX, 26, LXV, 2, Ierem. VI, 23, XV, 6.*



locis uocabulum  $\aleph$  commodè *uexillum* reddi, ut tamen cum iis, qui *potentiam DEI*, aut *uicem iustitiam*, interpretari malint, haud pugnetur. Vox  $\aleph$  autem, quae tribuum *uexilla* designat (n), siue cognata uerbo  $\aleph$ , siue uerbo  $\aleph$ , esse censeatur, *signum* notat, ad quod congregari, quod sequi, tribus Israëliticæ iuebantur. Ex quo liquet facile, profiteri sponsam, se amore Christi, tanquam uexillo, duci, quum, *Solomone* interprete (o), dicit:  $\aleph$  *tribuum*, et *uexillum eius iuxta me amor*. Nec uero ausim ego, quælia fuerint illa uexilla tribuum,  $\aleph$  appellata, et quibus imaginibus ornata, definire, quum sciam, eos, quidem in uexillo tribus Iudæ, *serpentem* in uexillo tribus Dan, *asinum* in uexillo tribus Isaschar, *ceruum* in uexillo tribus Naphtali, *lupum* in uexillo tribus Benjamin, *bovem* in uexillo tribus Ephraim, in aliis alias figuras, depictas fuisse tradiderunt, diuinandi occasionem e *Iacobi* et *Moyseis uaticiniis* (p) petiisse. Illud quidem ex antiquis monumentis discimus, ne uela quidem semper militaribus perticis, quæ pro uexillis essent, prætexta fuisse, quum a *Lysandro* etiam aeneum scutum pro signo sublatum esse *Polyænus* narret (q). Ceterum ad imperatorum prætoria in castris uexillum album, ad reliquorum ducum tentoria puniceum, defixum esse, auctor est *Polybius* (r). Athenienses quidem puniceis maxime uexillis in bello usos (s), duces autem bene meritos a Romanis imperatoribus uexillis puris, hoc est, nec auro, nec argento, intextis (t), donatos esse, accepere. At nec belluarum imagines, quas in numis frequentes ceruimus, a signis militaribus abfuerunt. *Plinius* certe (u) testatur, præter *aquilam*, in signis Romanorum militaribus fuisse *lupum*, *Minotaurum*, *equum*, *aprum*, quibus *Vegetius* (w) et *Festus* (x) porci effigiem, quod, pace facta, foedus caesa porca sanciri soleat, addiderunt. Denique *draconum imagines* uexillis cohortium insertas esse, res in uulgus nota est uel ex *draconariorum* nomine, cuius aliquod monumentum nostra adhuc militia in leuis armaturæ equitibus seruat. Quæ quum tam politi moris genti haud displicerint, quid miram, si sero ueterum Germanorum populo, belluarum exuuiis, ut hostibus terrori esset, uestiri solito (y), et scuta, et uexilla, bestiarum simulacris ornanda uisa sint? At iustas, inquis, et Romani, et Germani, cur ita facerent, causas habuerunt. Illud uero minus intelligo, cur *asinum* sibi, uile et abiectum animal, quod ignauitæ, inertiae, omnisquæ ignominia, exemplum nosseti homines habent, uexillorum ornamentum uiri nobiles delegerint? Ni miram non fuit ea prioribus sæculis, quæ nostro est, generis asinini contemptio. Taceo uirtutes, quas cepere, capiuntque, ex asinis populi ad orientem solem incolebant. Taceo ludæes, quibus uir illustris, *Daniel Heimsius* (z), asinos cumulauit, ut aegre is uiceret hominibus, qui, literarum et omnis elegantia ignari, sola se fortuna efferrent. Hoc autem tacere, non possum, in numis Romanis haud paucis caput asinum, perticae præfixum, Daciae prouinciae symbolum esse (aa), quo usi Daci in uexillis perhibentur, quum esset manus cum hoste conserenda, ut significarent, nullam se molestiam, ac ne mortem quidem, detrectaturos, dum uincerent (bb). Nescit enim asinus, quodeunque ingruat periculum, aut terredare, aut fugere, dicitur ea de causa a *Plautio Ariano* (cc) ἀνίσχυτος, *iruinibilis*. Quapropter nec uitiosum primo Saraceorum Principi, *Merouan*, seu *Gian-dæo*, pudori fuit a suis *asinum ex Mesopotamia* (dd) appellari, quod id genus asinorum in primis esset uilidum ac intrepidum, et orientis incolae in praeliis mallent asinus, quam equis, uti (ee), haud ignorantes quippe, ano pedis ietu ferocientem leonem ab asino esse occisum (ff). Quid? quod nec equestri Romanorum familiae ab *asinis* nomen duxisse usum est ignominiosum (gg)? Christianis quidem olim a profanis gentibus id probro præter ius et fas datum esse legimus, quod asino uectum DEVM uenerentur (hh), in-

de-

- (n) Num. I, 52, II, 2, 3, 599. X3 145 599. (o) Cant. II, 4. (p) Genes. XLIX, 9, 599. Deuter. XXXIII, 17, 599. (q) Stratagem. libr. I, cap. XLV, §. 2. Στρατηγὴν ἀντιπαραστάσεως ἀναστρέφει χαλκῶν ἀσπίδων. (r) Hist. Rom. libr. VI, cap. XXXV, ἡ τὰς ἄστας πέν ποιήσας Φοινικας, τὴν δὲ τὴν εὐαγγέλιον. (s) Diodorus Siculus Bibl. Hist. libr. XII, p. 373. Edit. Stephani. (t) Conf. Salsmasius ad Hist. Aug. in Probo Vopiscus cap. VI, p. 650. Edit. Haak. Lugd. Bat. Dio Cassius Hist. Rom. libr. I, cap. CCCX. (u) Hist. Nat. libr. X, cap. IV. (w) De Remilit. libr. II, cap. VI. Conf. Godefroy. Steuchius ad h. l. (x) In uoce porcus. (y) Tacitus de Moribus German. Iulius Caesar de B. G. libr. IV, cap. X, et libr. VI, cap. XXI. (z) In Loude asini Lugd. Bat. 1629. (aa) Conf. Vigilant Numism. Tom. II, p. 336, et Trifanum in Comment. Hist. Tom. II, p. 681. (bb) Trifanum l. c. (cc) Libr. I, cap. XVIII. in Epist. (dd) Auctor Hist. Saracen. libr. I, cap. XXI. (ee) Trifanum l. c. (ff) Plutarchus in uita Alexandri M. (gg) Pertinent huc Asinii, et Aseui, de quibus, qui de Familiis Romanorum sunt commentati, plura dabunt. (hh) Tertullianus in Apologet. cap. XVI, et alibi, nec non Mometius Felix cap. XXVIII, libr. VIII.

FK Thom 5911

X 366 M 55  
VD 18

deque asinarios eos fuisse uocitatos, quasi nec Bacchus nec Silenus, nec Satyrorum quispiam, uectus asino uspiam commemoretur. Verum succedente tempore, quum inualesceret superstitione, creuit etiam asinorum inter Christianos ueneratio. De asino, quem *sacelli Querfurtensis* condendi occasione, et nomen *campo, mundinis amiuersariis celebri*, dedisse narrat, nolo iam cramben sexcenties coctam recoquere. Nec, quae de simulo asini, diuinis honoribus culto, ex *Ioach. Hildebrandi, Missonii, Berckenmaieri, Rambaehii*, et aliorum, narrationibus auctores *der fortgesetzten Sammlung von Alten und Neuen* (ii) recensuerunt, huc transferam. Sat fuerit illud monuisse, *sodalitates equestrem asinariam* ea aetate floruisse, qua, ut ludi equestres a principibus uiris, sic a sacrificulis stolidissimae superstitionis, frequentabantur. Tum etiam, qui ex oriente redierant, equites, asinorum assueti uectationibus, iam prouae in asinorum uenerationem plebi magnum indiderant de sacris asinorum ministeriis opinionem. Non indecorum igitur uiris nobilissimis uidebatur sua uexilla, quae in ludis equestribus, seu *torneamentis*, sequebantur, *asinina* imagine ab aliarum cohortium uexillis distinguere, ut, quemadmodum aliae a suis signis aliter, sic ipsi, *sodalitas asinaria*, (kk) dicerentur. Duplex autem illa, *superioris* alia, alia *inferioris, asini* (ll) fuit, quarum illa in *summa* uel uexillatis parte, haec in *infima, simulacrum asini* uideatur habuisse. Ad haec uexilla hic conscriptam esse uulgi sentinam existimemus, addit *auctor libri de Torneamentis Germanorum* (mm), fuisse in ea *sodalitate* nobilissimos Germaniae uiros ex agro siluoso, qui inter *Nicrum* et *Moenum* a *Melhuco* ad *Tubarin* porrigitur, et *Otonis silua* uocatur. Inapudis igitur ab omni turpitudinis nota *sodalitas asinaria* fuit, imo et summae dignitatis capax, quam impertiri proceribus Germaniae imperatores solent. Quae quum ita sint, quod reliquum est operae mihi, nunc puto persequendum. Duas ego *sodalitates* Afranae disciplinae alumnorum producere in ludam, non equestrem, sed literariam, apud animum, quod bene ueritat DEVS, constitui, alteram, quae *disceptet de aliquibus ad Cebetis Tabulam animaduersis*, alteram, quae *de uariis argumentis succincte disserat*. Disceptabunt autem de *Tabulae Cebetis* argumento *Ioannes Guilielmus Hermannus, Hartmannsdorffensis, Respondens*, et *Daniel Erdmannus Meuserus, Christianstadiensis, Opponens*, die xv. mensis Septembris, et post eos *Ioannes Gorchelß Christianus Parzig, Hypo-Bobricensis, carmine Germanico dieti emortualis Mari. Lueberi, Ioannes autem Guilielmus Hermannus, iam ante nominatus, Latino sermone proso Vicedoniani beneficii amittens nam memorans, de reuocandis uel uoluntatis in usus uere sacros Principum Protestantium prudentia collata dicturus, renouabit, ac simul uale dicit ultimum illustri scholae, cui Germanica dictione felicem abitum pro more precabitur Christianus Daniel Roch, Mitweidensis, extraneus, simul, non posse rectius, quam ad pias, quas uocant, causas, impendi opus superfluas, breuiter edisseraturus. Ad ultimum autem mensis Septembris diem Ioannes Georgius Boehme, Zwoenicensis, latina prorsus, quae hoc anno, quem uiuimus, maxime notatu digna acciderunt, perscquetur, Ioannes Christianus Meyer, Annabergensis, de is, quae in Concilio Tridentino *1562* gesta sint, oratione uorsa Germanica exponet, Carolus deinde Daniel Freyberg, Dresdensis, Latina prorsus statum civilem, qui *1562* fuit, Christianus autem Ernestus Birckholz, Berguicensis, carmine Latino statum civilem anni *1562*, Zacharias Benedictus Dicelius, Lipsiensis, denique sacrorum, qualis *1562* fuit, conditionem Latina dictione prorsus enarrabit. Horum contentionem ut frequenti conuisione post horam nonam matutinam diebus accendatis, VOS omnes, qui iuuenilibus laucis studiis, pertenerent, perque humaniter, oro. Perscripsi in illustri ludo Afrano XVIII Kalend. Octobr., qui est in fastis nostris XIV mensis Septembris dies *1562*.*

(ii) Auf das Jahr 1743. p. 466. (kk) Die löbliche Gesellschaft im, oder vom Esel. Conf. Thurnier-Puch l.c. (ll) Die löbliche Gesellschaft vom obem Esel, und die löbliche Gesellschaft vom untern Esel ibid. (mm) Die edlen Herren und Ritter aus dem Odenwalde, ibid.



MC

# EPHOROS

VIROS ITEM SACRI AC CIVILIS ORDINIS AMPLISSIMOS

QVOTQVOT LIBERALIBVS FAVENT STVDIIIS

AD AVDIENDOS

E DECIMO QVINTO ET VICESIMO

MENSIS SEPTEMBRIS 1800

POST HORAM NONAM MATVTINAM

N ILLVSTRI AFRANEO

OLESCENTES PERICVLVM INGENII ET DISCEPTANDO ET

PERORANDO FACTVROS

QVA PAR EST

REVERENTIA ET HVMANITATE

INVITAT

